

qualem Patres veteris Testamenti Messiam & Redemptorem expectarint. Necessitas cognitionis linguæ Ebr. futuro Ecclesiæ ministro inprimis etiam perspicitur ex idiotismis plurimis hujus linguæ, qui explicari non possunt sine solidiore Linguæ Ebreæ cognitione e. g. נשׂוּל alias est idem ac sustulit, portavit : sed ex idiotismo Linguæ Ebreæ, est idem, ac recensere, numerare : ita *Genes. 40. 13. 19.* Pharao tollat caput, ut vulgo redditur, rectius נשׂוּל per recensere explicatur. Ita sumitur Num. 1. 2. Recense caput omnis cœtus.

§. 4. Inprimis operam dare debet, qui ad futurum ministerium Ecclesiæ se præparat, ut methodum discendi hujus linguæ faciliorem sibi eligat, qualem suadet Philologus quidam famigeratissimus, qui brevi tempore linguarum cognitionem sibi ea methodo acquisivit: 1. requirit accuratam Grammaticam. 2. Lexicon. 3. Codicem Bibl. Deinde certæ horæ impendendæ quotidie sunt lectioni, ut promptæ legere possit textum, 3. præcepta Grammatica probe memoriæ infigantur. 4. singulis diebus horæ certæ tribuendæ sunt explicationi textus, quæ beneficio Lexici & Grammaticæ inchoanda & sine tædio, continuanda est. Hoc modo cognitio vocabulorum magis magisque acquiretur, ut brevi tempore lector promptior reddatur in explicatione, ut deinceps cum delectatione sacrum textum legere. Viva tamen vox Præceptoris non est negligenda.

§. 5. Hoc etiam magnam utilitatem adfert ei, qui ad futurum ministerium ecclesiasticum se præparat, si absoluto aliquo capite Biblico in textu Ebræo, ut illud de verbo ad verbum explicare queat, Philologiam B. Glasii conferat & in indice tum Grammaticæ, tum Rhetoricæ sacrae evolvat, quæ ad Caput illud spectant : hæc ratione enim indolem Linguæ Ebreæ paulatim perspiciet, ut sensum textus sacri facilius assequatur. Liber hic omnibus merito commendandus est, qui ad

ad